



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

9. An delicta si sint tantùm in damnum delinquentis, praemittenda ijs sit, secreta correctio, & inductio testium priusquam judicialiter denuncientur? si probabiliter existimetur correctionem ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

sufficiens defendendus: nisi denunciatur. Undè si firmiter credatur profutura correctio, & innocens defensus, per monitionem, non debet fieri denunciatio juridica. ita *Suar. citatus cap. 22. n. 42.* In delictis autem, quæ sunt contra bonum commune, ut hæresis & proditionis, raro vel nunquam præsumi potest correctio delinquentis ex secreta monitione; ideoque denunciandus statim est delinquens, ut bono communi provideatur, & maxime stante præcepto denunciandi lato à jure aut Inquisitoribus. Et confirmatur doctrina nostra, quia si privata monitio in hujusmodi casu, quo bonum commune periclitatur, deberet denunciationem præcedere, sequeretur, neque testem posse testari etiam si in judicio crimen probari posset, nisi præcesserit secreta monitio, cum par ratio militet: consequens autem negatur ab omnibus.

9. Respondeo & dico 4. Si delicta solum sint in damnum delinquentis, præmittenda est ex præcepto Divino secreta correctio, & testium inductio, priusquam judicialiter denunciarentur, si probabiliter existi-

existimaretur correctio vel inductio testium profutura. Ita *Suar. tom 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. n. 36.* Ratio, quia denunciatio judicialis tendit ad bonum commune delicto delinquentis damnificatum, per punitionem reparandum, & secundariò ad delinquentem corrigendum. Cùm ergo hujusmodi delictis bonum commune læsum non sit, & ex alia parte non appareat necessitas denunciationis judicialis ad delinquentis correctionem, nequaquam fieri debet, quin secreto priùs corripiatur. Præterea, si in his peccatis ordo correctionis servandus non est, in nullis erit ex necessitate servandus: nam in peccatis omninò secretis ( ut paulò infra dicemus ) rarò potest ad denunciationem judicialem procedi: in omninò publicis non est præmittenda, neq; inductio testium: Ergò ne dicamus processum correctionis à Christo præscriptum fore inutilem, affirmandum est in iis peccatis, quæ partim sunt secreta, partim publica, servari optimè posse.

10. Est tamen magna differentia inter hæc peccata, quæ solum peccanti nocuummentum afferunt, & inter illa quæ aliis no-